

IOANNES CONON NORIMBERGENSIS.



Ioannes Norimbergæ anno 1463 honestis parentibus natus, & à pueris in melioribus literis optimè educatus est. Hic cum in patria prima artiū fundamenta fideliter percepisset, studiorum amore se in Italiā contulit, atq; Patauī magna diligentia Græcę linguae operam dedit. erat enim ea ætate ibidem Marcus Musurus Cretensis, & Scipio Carteromachus Pistoriensis uiri doctissimi, qui Græcas literas publicè profitebantur. Itaq; factum ut eius linguae præclaram notitiam sibi compararit, atq; inter doctos uiros notissimus fuerit. Ut aut̄ Ioannes sua studia commodius prosequeret̄, Dominicanorum ordinē suscepit, & aliquandiu in Italia uixit.